hebetes ac plumbeos, vel alterius naturae et indolis ac nunc homines sunt, supponere: quod non nisi per summam impudentiam et insaniam cogitari potest.

3) Hanc vero curam diligentiamque a fortiori adhiberent homines, si eventus esset extraordinarius ac mirus; id enim efficere solet testes vel spectatores attentiores ad ipsum rite examinandum et perpendendum; adeoque maioris ponderis est, ceteris paribus, ipsorum testimonium in huiusmodi factis.

4) Crescit insuper argumentum cum plures ex testibus omni ope student eventus miraculosi veritati contradicere, quin tamen illum negare possint, eo quod nimis patens est. Id quidem factum esse novimus, ex. gr., in resurrectione Lazari, quando volebant eum interficere, ne populus eo miraculo commotus crederet in Christum; imo id contigit in pluribus miraculis a Christo patratis; eius enim inimici, cum non possent veritatem facti negare, ea tribuebant daemoni.

219. III. Neque Humii exceptio (n. 207.) ullo pacto infirmare valet certitudinem *historicam* miraculorum. Etenim — 1) argumentum illud nimis probat: si quid enim probaret, iuxta adversariorum principia, etsi oculis nostris conspiceremus mortuum resurgere, credere minime deberemus; cum sit contrarium consueto sensuum testimonio, quod homines semel mortui non resurgunt. Argumentum igitur supponit falsum principium, nempe in rerum natura vel in societate nihil unquam accidere, quod non sit consuetis observationibus nostris consentaneum.

2) Porro physica impossibilitas alicuius eventus pugnaret cum eius certitudine historica, si nulla virtute vinci posset; namque si aliqua virtute posset superari, debitum hominum testimonium sufficiens praeberet argumentum, eam in casu esse victam. Atqui cum de miraculis agitur, id, quod deest viribus naturalibus, abunde suppletur per omnipotentiam Dei, cui unice factum adscribitur, tamquam causae principali.

3) Quis non videt, ridiculum esse asserere, contra unum miraculi testem mille insurgere: mille enim testes, qui facto praesentes non fuerunt, possunt quidem legem ordinariam naturae affirmare; sed non possunt testari exceptionem non esse factam contra illam legem: secus dicendum esset, testimonia eorum qui

totam rem ignorant valere ad absolvendum furem, quem tres in actu furti deprehenderunt, quin ceteri homines illum viderint.

4) Ut haec tota responsio maiorem vim habeat, notetur testimonium de patrato miraculo comparari posse vel — 1) cum experientia *praesenti* de eventibus secundum naturae leges: et tunc inter testimonium de facto extraordinario *praeterito* et experientiam praesentem nulla potest esse contradictio; siquidem, uti patet, non cadunt in idem obiectum — vel 2) cum testimonio eorum qui referunt eosdem eventus secundum easdem leges contigisse; et tunc inter utrumque testimonium nec ulla potest esse contradictio; unum enim refert quod ut plurimum factum est, alterum quod per exceptionem quandoque accidit — vel 3) comparatur tum cum praesenti nostra experientia, tum cum eorum, qui praecesserunt, testimonio, superaddito principio de constantia legum naturae: et tunc neque potest testimonium de patrato miraculo *a priori* reiici; siquidem, ut ostendimus, leges naturae non ita constantes sunt, ut, per divinam omnipotentiam, exceptionem non admittant — Cf. quae diximus in tract. *de Virtutibus Infusis* (n. 704.).

220. *Prob. tertia pars.* I. Ideo imprimis dicitur veritas *philosophica* miraculi non posse a nobis certo cognosci, quia nobis perspectae non sunt omnes naturae vires; adeoque, aiunt, quod naturam excedere videtur, tribuendum forte est viribus occultis. Atqui haec ratio nullius est momenti. Etenim.

1) Si darentur illae vires occultae, quibus tribuendum esset miraculum, vel agerent *semper*, vel *aliquando:* atqui non *semper;* sermo est enim de miraculo quod rarum est (non omnes mortui revocati sunt ad vitam, non omnibus caecis restitutus est visus, etc.) — nec *aliquando;* nam sermo est de viribus occultis producentibus effectum contra aliquam constantem naturae legem (hoc est miraculum); sed adversarii talem huic aut similibus legibus constantiam necessitatemque adscribunt, ut nec per divinam omnipotentiam suspendi possint: quomodo igitur haec cohaerent inter se? Insuper haec derogatio independens esset ab homine, utpote quae ex ipsa natura rei proflueret. Miraculum autem fit imperante homine, et nomine seu auctoritate Dei. Ergo miraculum

non est derogatio legi generali facta per aliquam vim naturae occultam, quae agat aut semper, aut solum aliquando.

2) Equidem non cognoscimus *omnes* leges *positive*, ita ut de omnibus affirmare possimus quousque sese earum efficacia extendat; at cognoscimus eas *negative*, ita ut cognoscere possimus quoad usque pertingere non possunt. Atqui id sufficit ad aliqua miracula dignoscenda. Nam, ut in concreto rem spectemus, etsi fateamur, ex. gr., nos ignorare, quousque sese attollat nobilissima medicinae ars, certo tamen novimus, nullum medicum posse mortuum, et quidem iam quatriduo defunctum et foetentem, ad vitam revocare. Similiter, quamvis ignoremus adamussim quid vox hominis possit; novimus, tamen omnimoda certitudine, eam non posse efficere, ut caecus a nativitate visum recipiat, ut surdus audiat, ut mutus loquatur, ut mortuus reviviscat, etc. Necesse igitur non est, ut cognoscatur, quoadusque virtus naturalis alicuius agentis se extendat: sed sufficit, ut sciatur non posse ad dicta opera se extendere, ut iudicetur, ea esse miracula.

3) Etsi *positive* non cognoscamus *omnes* naturae leges, nec quousque se extendat earum efficacia; cognoscere tamen possumus, illas vires quae de facto adhibentur quoad subiectum, in quo miraculum fit. Atqui hoc sufficit ad aliqua miracula dignoscenda. Cum enim Jesus Christus, ex. gr., visum caeco a nativitate donavit, luto eius oculos liniendo, evidens est, lutum non posse dare visum caeco a nativitate, sed potius oculum sanum excaecare. Quod si supponatur, in hoc aut similibus eventibus, posse occultas vires adhiberi, quibus effectus sit tribuendus, iam omnem physicam certitudinem destruemus.

4) Ex *modo* ipso, quo miraculum fit, quandoque evidens est, illud non posse tribui ulli vi naturae. Revera si homo aliquid extrinsecum facere vult, necesse est, ut anima moveat suum corpus, et per suum corpus operetur extrinsecus: verbum enim hominis non est factivum rei, sed significativum. Num medicus sanat infirmum solo voluntatis *imperio?* Imo praescribendo medicamina, eaque ipsi infirmo praebendo, seu illi applicando, eiusdem sanitatem obtinere potest. Quapropter, si quis infirmum sanaret solo *imperio*, dicendo: *surge:* et statim qui erat infirmus, surgeret: is profecto miraculum patrare dicendus esset. Quae illatio praecipue obtinet, cum miracula ad nutum viri naturalium scientiarum ignari patrantur; unice nomine et auctoritate Dei; quando tum praecise patrantur, cum aliqua necessitas, aut saltem evidens utilitas instat veritatis confirmandae, innocentiae defendendae, etc.: quis enim dicat occultas vires ad nutum hominis eas ignorantis operari?

221. *Dices:* « Miracula quae repeti debent a fide ac voluntate agentium, id sunt, quod olim dicebatur *imaginatio operans extra proprium corpus* (cuius efficaciam adeo magni fecerunt Avicenna et Pomponatius), nunc autem nuncupatur *magnetismus animalis* seu *mesmerismus:* cuius effectus maior erit, si fidei coniungatur contactus, sive mediatus sive immediatus; si cum agentis fide uniatur fides patientis, seu cum vi magnetismi vis imaginationis ».

Resp.: Nostrum nunc non est agere de magnetismo et mesmerismo: sed sufficit animadvertere — 1) Non omnia miracula in solis sanationibus consistere, ut supponere videntur adversarii. Num potuerunt unquam magnetismi patroni quinque panibus ac duobus piscibus quinque hominum millium multitudinem satiare, prout praestitit Christus? Potuerunt ne unquam aquam in vinum convertere, ut factum est in nuptiis Canae? Si id praestitissent, valde commendanda esset eorum imaginationis vis, ac libenter ab omnibus exciperentur.

2) Sed si sanationes ipsas consideremus, concedimus valde quandoque conferre persuasionem recuperandae valetudinis, et in nonnullis casibus valere ad corrigendam praesertim laesam phantasiam: id apud omnes compertum est, ac non solum medici admittunt, sed etiam Benedictus XIV. (*de Canoniz. Sanctor.* I. 4. c. ult.) pro certo habet; unde et hic casus in Congregationibus rituum prae oculis habetur. At vero pervicacis, ne dicam insanientis, est velle ad omnes casus eiusmodi vim extendere, ex. gr., ad ossium contusionem et fracturam, vulnera, morbos insanabiles, etc. Id si esset, non solum miraculis, sed et therapeuticae et chirurgiae possemus facile valedicere.

3) Falsum insuper est, fidem semper exigi in iis, in quorum gratiam miracula patrantur. Certe nullam huiusmodi fidem exegit Christus in citatis miraculis multiplicationis panum et conver-

sionis aquae in vinum: neque quum mortuos excitavit, filium viduae Naim vel filiam Jairi, fidem ab illis exigere potuit.

222. II. Nec dici potest impossibilis cognitu veritas *philosophica* miraculorum ex naturali Angelorum facultate, qua praestigia operari possunt. Etenim Angeli vel boni sunt, vel mali, prout vel Deo subditi, et cum voluntate eius concordes, vel ipsius adversarii, seu ei rebelles. Si *boni* sunt, nec pro suo erga veritatem et homines studio; nec pro suarum voluntatum cum divina unione impostorem adiuvare possunt, falsam doctrinam miris factis confirmando. Si vero *mali* sint, impostorem, seu ementitae revelationis praeconem ad invincibilem hominum seductionem adiuvare a Deo prohibentur.

223. Ut bene intelligatur haec ultima pars argumenti, notetur imprimis quod docet Benedictus XIV. (*de Canoniz. Sanctor.* l. 4. p. 1. c. 3.), qui Suaresii (de Religione, l. 2. c. 16. n. 2.) verba exscribens, ait: « Licet autem virtus ipsa (daemonum) in se non fuerit diminuta, propter ordinem nihilominus gratiae, et supplicium culpae, subiectio illius fuit aliquo modo immutata. Potest angelus superior naturaliter in naturali perfectione cogere inferiorem, aut resistere ne sua virtute exterius operatrice utatur, quia sicut est natura superior, ita etiam agendi vi et facultate. Ordo hic autem non est mutatus in daemonibus inter se, sed respectu sanctorum Angelorum est immutatus, quia licet angelus bonus saepe sit inferior in natura, minimus nihilominus sanctus angelus potest cogere summum daemonem, et ei efficaciter praecipere, cum tunc non operetur sola virtute naturali, sed ut minister Dei, sine cuius nutu et voluntate nihil intentat. Communis est haec Theologorum sententia ». Unde dicimus: ad divinam providentiam pertinet, ut si a malignis spiritibus sive mira sive praestigia fiant, id non permittat Deus in iis rerum adiunctis, in quibus non suppetunt sufficientia indicia ad iudicandum illa signa divina non esse. Etenim

1) Si tanta potestas daemonibus concederetur, ut pro libitu naturae ordinem inverterent, et hominibus illuderent, quin possent eorum fraudes illusionesque detegi; omnis physica certitudo desineret, imo plurima etiam officia hominis erga homines dubia redderentur, quia ubique illusiones essent timendae. At quis sanae

mentis dicat, Deum ita mundum regere ac providentia sua gubernare, ut quavis physica certitudine repudiata, incerti semper haereamus, num officia exhibenda iuxta generales regulas morum, in concreto ac in particularibus casibus sint exhibenda necne? Ergo nemo sanae mentis negabit, naturalem daemonum virtutem efficiendi mira et praestigia a divina providentia impediri, si desit sufficiens medium illa discernendi. — Cf. *de Virt. Infusis* (n. 692.).

2) Hinc Suarez (de Myster. vitae Christi, disp. 31. sect. n. 8.) ait: « Non pertinet ad providentiam Dei non permittere falsa signa, quum ad probationem, et profectum electorum prosunt: sed pertinet ad providentiam Dei dari auxilium, ac modum quo possint diiudicari, et cognosci, quia non est divinae bonitatis, et sapientiae, ut permittat hominem tentari ultra id quod potest. Ac propterea quando facta morali diligentia et investigatione adhuc constat evidenter vera esse miracula, quae fiunt in confirmationem doctrinae, nulla relinquitur ratio dubitandi de talis doctrinae veritate, praesertim si miracula sint frequentia et magna auctoritate, ac potestate facta, et vitae innocentia, ac sanctitate confirmata, et in ipsa doctrina nihil contra honestatem, nihil contra rationem rectam, nihil denique contra alias divinas revelationes appareat.

3) Quare, « quando sunt falsa miracula, uti docet idem Suarez (l. c.), semper relinquitur aliquis modus, quo moraliter possint diiudicari, si homines, quod in se est, faciant ad cognoscendam veritatem. Primo, bene considerando ipsamet opera signaque et circumstantias eorum. Secundo, considerando personam, vitam, et mores eius qui sic loquitur, et operatur. Tertio, considerando doctrinam ipsam, an aliqua in parte rationi adversetur, vel aliis revelationibus divinis sufficienter propositis », etc. Et (de Fide, disp. 4. sect. 3. n. 9.): « In his ergo operibus primum consideranda est diuturnitas effectus, et perseverantia, quae est magnum indicium veritatis; nam quae ficte tantum fiunt, subito evanescunt; et ita mors Lazari per quatuor dies probata est quod fuerit vera, et postea vita illi restituta per longa tempora. Deinde accedunt effectus per quos talis veritas manifestatur; quales maxime esse solent actiones vitae, ut videre in caeco ex nativitate. Tertio, consideratur multitudo et frequentia talium effectuum,

cum omnibus signis et indiciis veritatis, quae esse solent in omnibus rebus quae prae manibus gerimus; qua enim maiori evidentia constare potest, aliquod vinum esse verum vinum, quam fuerit illud in quod Dominus aquam convertit? Unde consideratur etiam quarto multiplex modus mirabilis operandi talia signa, per imperium, per orationem ad Deum, adiungendo simul aliud opus proprium Dei, ut manifestationem cogitationum cordis, quod saepe Christus faciebat. Praeterea considerandus est finis talium operum, quia nihil temporale et humanum, nihilve pravum per illa intendebatur, sed potius rectitudo et honestas morum, et veri Dei cognitio, et ipsius daemonis expugnatio ».

224. Ex his facile diluitur trita difficultas: veritas miraculi, aiunt, probatur ex veritate doctrinae; et veritas doctrinae probatur ex veritate miraculi: en circulus vitiosus. — Porro adhibetur sanctitas doctrinae ad discernendum verum miraculum a praestigio daemonum, quando iam constat opus superare vires naturae sensibilis. Tunc autem — 1) sanctitas doctrinae, ut liquet ex dictis, non est unicum criterium, quo utimur — 2) quando eo utimur, sumimus doctrinam, uti *promoventem sanctitatem morum, pietatem* etc., ad iudicandum quod opus in eius confirmationem patratum, de quo iam constat esse supra vires naturae sensibilis, non sit a daemone: hinc concludimus esse a Deo, ac proinde in casu, *doctrinam esse revelatam:* non ergo probatur idem per idem — 3) Si quando sumitur doctrina *uti revelata* ad discernendum miraculum a praestigio daemonum, tunc est, cum revelatio probata est aliis signis: unde *ex doctrina iam multis aliis signis comprobata,* deducimus *hoc novum signum* in eius confirmationem patratum non esse a daemone; et cum sit opus supra vires naturae sensibilis, est ergo a Deo: sed ex hypothesi editum est in confirmationem revelationis; ergo revelatio novo hoc signo confirmatur. Supponamus, ex. gr., quod infra demonstrabitur, revelationem christianam tam multis ac miris signis confirmatam esse, ut nullum rationabile dubium haberi possit de eius divina origine; si deinde aliquod patraretur mirum opus, visibilis naturae vires superans, ad confirmandam doctrinam oppositam christianae revelationi; nonne merito illud tribueretur malis artibus daemonis?

225. *Prob. quarta pars.* — Eatenus negaretur cognoscibilitas veritatis *relativae* miraculorum, quatenus Deus posset miraculum patrare, si homo falso proponeret doctrinam uti revelatam, quam miraculo confirmare intenderet. Atqui id non potest Deus. Ergo —

Prob. min. — 1) Quemadmodum Deus *testaretur* falsum, si in confirmationem falsae doctrinae miraculum patraret; ita *contestaretur* falsum, et veluti suum sigillum apponeret mendacio hominis, si eo proponente miraculum in confirmationem falsae doctrinae, Deus illud operaretur. Atqui Deus falsum nec testari, nec contestari potest. Ergo — Huc redeunt argumenta data pro prima parte thesis.

2) Etsi Deus possit errorem permittere, nequit tamen ipse nos inducere in errorem; atqui, si homine promittente miraculum in confirmationem falsae doctrinae, Deus operaretur miraculum, ipse nos induceret in errorem. Ergo — Huc etiam faciunt argumenta, quibus nuper probavimus, in iis circumstantiis in quibus nullum suppetit medium errorem detegendi, Deum non posse permittere Angelis malis ut praestigia operentur.

226. *Dices I.:* Potest imprimi sigillum in scriptura falsa et regia ex pravitate ministri custodientis sigillum; ergo a pari ex pravitate creaturae habentis potestatem miraculorum poterit patrari miraculum in confirmationem erroris, signando ipsum sigillo divino.

Resp. neg. consequentiam. « Quia, inquit de Lugo (de Fide, disp. 2. n. 24.), sicut princeps, si in ipso actu sigillandi, aut subscribendi adverteret falsitatem contentam, non posset sigillare, aut subscribere, sed deberet sigillum repetere, ne cooperaretur ad deceptionem et mendacium: sic Deus ad idem teneretur. Unde cum Deus non solum antecedenter, sed in ipsomet actu sigillandi et operandi miraculum, videat semper falsitatem doctrinae, ad quam confirmandam miraculi sigillum apponitur, non videtur tunc cooperari posse ad malitiam ministri, quin particeps sit deceptionis, et falsitatis. Non enim antea solum subscripsit, vel sigillum dedit, sed tunc subscribit et sigillat ».

227. *Dices II.:* Sed nonne, collata potestate consecrandi, potest Deus ad consecrationem concurrere etiam quando homo illa abutitur? (n. 212.).

Respondet de Lugo (l. c. n. 25.), « dupliciter posse Deum dare potestatem illam generalem. Primo, ita ut constet, vel constare possit, quo fine, vel quando Deus illam dederit; quo casu, si postea homo potestate illa abutatur ad alium finem comprobandi aliquid falsum, vel alterius finis pravi, facile etiam constare poterit, Deum non operari hic et nunc miraculum ad finem illum pravum, sed propter alios fines, quos intendit in prima illa generali concessione. Ita est de potestate consecrandi, et convertendi panem in corpus Christi, quae conversio *licet sensibiliter fieret*, adhuc fieret quando sacerdos consecrare vellet ad finem pravum, vel ad comprobandum errorem, quia aliunde constare posset, miraculum non fieri a Deo propter illum finem pravum, vel ad comprobandum errorem, sed propter veritatem institutionis sacramenti sustinendam: ideo saepe dixi, non posse fieri miraculum a Deo in iis circumstantiis, quando, per se loquendo, non potest colligi aliunde quod fiat a Deo propter alium finem, etc. ».

ARTICULUS UNDECIMUS

Utrum prophetia sit possibilis, et quaenam sit eius vis probandi.

§ I.

Exponitur status quaestionis.

228. Duas quaestiones simul complectimur in hoc articulo, ut ipse titulus manifestat. Sed antequam illas attingamus, necesse est paucis exponere naturam prophetiae, de qua nobis est sermo. Ac imprimis notetur, vocabulum *prophetiae* multiplicem habere acceptionem, non modo apud profanos auctores, sed etiam in Sacris Scripturis. Etenim sumitur quandoque sensu latissimo et minus proprio; et tunc significat — 1) *interpretationem:* quo sensu legitur (Exod. VII. 1-2.): « Aaron frater tuus erit propheta tuus (idest tuus interpres apud Pharaonem). Tu loqueris ei omnia quae

mando tibi: et ille loquetur ad Pharaonem » — 2) Propheta dicitur homo praeditus cognitionibus supra vulgus: quo sensu scripsit Apostolus (Tit. I. 12. seq.): « Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Testimonium hoc verum est » — 3) Propheta appellatur quandoque compositor hymnorum sacrorum et canticorum, imo etiam eorum cantor in laudem Dei: quo sensu sumitur (I. Reg. X. 5-6.): « cum ingressus fueris in urbem, obvium habebis gregem prophetarum, descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te Spiritus Domini, et prophetabis cum eis » — 4) Prophetae nomine veniunt etiam doctores et interpretes legis: unde nonnulli dicebantur filii prophetarum, quatenus nempe legis doctrinam edocebantur ab illis doctoribus, quorum aliquibus tamen divinum lumen saepe communicabatur — 5) Scriptores *inspirati* omnes, licet prophetias proprie dictas non scripserint, dicuntur etiam Prophetae, uti notavimus in tract. *de Virt. Infusis* (n. 954.). Praestat has diversas acceptiones vocum *Prophetae* et *prophetiae* prae oculis habere, ut respondeatur iis, qui ambiguitate vocis abutentes vellent ostendere, prophetiam proprie dictam non esse donum supernaturale.

229. Proprio tamen sensu Prophetae antiquitus dicebantur qui cognoscebant et annuntiabant occulta, ea nempe quae nonnisi supernaturali modo cognosci poterant; unde huiusmodi rerum cognitio et praedictio proprie dicebatur *prophetia.* « Prophetia, inquit D. Thomas (2-2. q. 171. a. 1.), primo et principaliter consistit in cognitione, quia videlicet prophetae cognoscunt ea quae sunt procul et remota ab hominum cognitione. Unde possunt dici prophetae a πρὸ *pro,* quod est *procul,* et φάνος *phanos,* quod est *apparitio,* quia scilicet eis aliqua, quae sunt procul, apparent. Et propter hoc, ut Isidorus dicit in lib. 7. Etymolog., cap. 8.. " in veteri Testamento appellabantur Videntes, quia videbant ea quae caeteri non videbant, et prospiciebant quae in mysterio abscondita erant. " Unde et gentilitas eos appellabat *Vates* a vi mentis, ut ibidem praemittit. Sed quia, ut dicitur I. ad Cor. XII. 7.: " Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem; " et infra cap. XIV. 12., dicitur: " Ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis; "